



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

27. Donatio à die praesente.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

venerando, amabiliter diligendo, sanctitatis culmine conspicuo, ac nobilitatis titulo decorato, piissimo, sive sacra eloquia seu præcepta Dei plenissimo, sanctorum meritis coæquando, & palma triumphationis atque sanctitatis gratia ornato, inclito præclaroque. Deus omnipotens faciat in sancta religione permanere. Venerabili in Christo & à nobis cum summa reverentia nominando illo Episcopo ego ill. in Domino perpetuam mitto salutem. Multimoda nobis benevolentiam vestram generare comperite gaudia quotiens nobis aditus dederit opportunus ut ad indagandam sospitatem vestram nostras dirigere apices debeamus. Quia nihil melius nisi ut invicem mutuam caritatem orando in invicem alterutrum spiritalia pabulum subministrare non cessemus, Hilarem & gaudentem citius vos cernere mereamus.

Item alio.

XXIV. Summa veneratione nobilissimi generis seu industriæ vel sagacitatis culminisque sublimitatis ineffabile à nobis scientiæ vestræ, Domine inlustrissime, cum summa nobis reverentia nominando illo ille exiguus tam multiplices vobis salutes dirigere cupimus, & reliqua. obsecrantes piissimo Domino ut vos unâ cum culminis sublimitatis vestræ longa per tempora trina conservet deitas, & quandoque terrena linquetis, suffragantibus sanctis angelorum mereatis cœtibus glomerare, præcellentissime & inclite Domne.

Item alio.

XXV. Domino venerabile inlustrique sagacissimo, sed inlustriore sanctitate & gratia Dei pollente, & sacerdotale apice sublimato, Domino illo ille alumnus vester salutem in Domino vobis præsumpsimus destinare. Supplicamus, Domne, gratiæ vestræ ut nos pro mercede vestra mon. instruere faciatis, & juxta vestram bonam consuetudinem, quod semper nos piè ut dulciter gubernare dignastis, ita & nunc agi non dedignemini, ut ad cumulum mercedis vestræ perveniat. Et si ita agitis, maxima dona fratribus nostris juxta solita bonitatis vestræ. Iterum atque iterum quasi ad præsens ante genua vestra prostrati precamur ut à cœpta gubernatione vestra nos discedere nunquam patiatur.

Item alio.

XXVI. Reverendissimo confratri meo illo ille in Domino salutem. Cùm enim longitudo terræ caritatis illorum non queat evelli quos Christi connectit amor, desi-

derans desideravi literolas parvitas meæ fraternitati tuæ dirigere, ut statim quod præsens loquella conspectui tuo loqui non valet, vel has apices tibi enarrent. Cupio valde quem recordor absentem, ut cum quo mente sum, cum eo etiam corpore sim præsentem. Divinitas te servet per multos annos, parens & custos Dei aeterni, quem colimus, Iesu Christi.

Donatio à die præsentem.

XXVII. Sacrosanctæ basilicæ sancti illi monasterio vel alio loco illo constructæ, ubi venerabilis vir ille Abbas vel Episcopus aut Presbyter cum suis Clericis vel monachis præesse videntur, ego ille cogitans Dei amore vel aeterna retributione, ideoque cedo ad die præsentem ad supradicta basilica & monachis ibi consistentes cessante in perpetuum esse volo portiones meas in loco nuncupante illo, sitas in pago illo, quæ mihi tam de alode quàm de comparato vel de quocunque libet adtracto advenit vel advenire potest legibus in suprâ memorata loca, tam terris, domibus, ædificiis, mancipiis, libertis, accollabus, merita accollanorum, vineis, silyis, pratis, pascuis, campis, cultis & incultis, aquis, aquarumque decursibus, mobilibus & immobilibus, cum omnibus adjacentiis & appendiciis vel coloniciis ad se pertinentibus, cum omni integritate vel superposito, quicquid dici aut nominari potest, in supramemoratos pagos vel ubique de supradictis portionibus tenere visus sum, totum & ad integrum ad die præsentem ad jam memorato monasterio vel ad ipsos monachos ibi consistentes perpetua-liter trado atque transfundo, de meo jure in vestra trado dominatione ad possidendum, ut quicquid exinde facere voluerint, liberam ac firmissimam in omnibus habeant potestatem à die præsentem faciendi. Si quis verò, quod fieri non credo, in futurum, si ego ipse aut ullus de heredibus meis, aut ulla emissâ vel opposita persona, vel quislibet qui contra hanc cessionem meam, quam ego bona voluntate fieri & adfirmare rogavi, venire, agere, aut resiliare, vel per quibuscunque modis impedire aut infringere conaverit, nec hoc valeat vindicare quod repetit, & insuper partibus suprâ memorato monasterio vel monachis ibidem consistentibus duplum tantum quantum ipsas res eo tempore emelioratas valuerint componat, & insuper socio fisco multa auri libra una coactus exsolvat, & hæc cessio omni tempore fir-

N n iij

ma permaneat, stipulatione subnexa. Actum loco illo.

Ad testamentum faciendum.

XXVIII. Regnante in perpetuum Domino nostro Iesu Christo. Anno illo illius Regis, sub die XII. Kalendarum illarum, feria illa, Indictione illa. Ego ille filius illius sana mente integroque consilio, metuens casus humanae fragilitatis, testamentum meum condidi, quem illi scribendum commisi, ut quomodo dies legitimus post transitum meum advenerit, recognitis sigillis inciso lino, ut legis decrevit auctoritas, per inlustrem virum illum, quem in hac pagina testamenti nostro legatorio institui, gestis republicae municipalibus titulis ejus persecutionibus ab ipsis maniat, & in archivis basilicae sancti illi conservandum decrevi, ut quicquid unicuique de rebus meis propriis habere decrevi, singulariter in hoc testamentum meum inferere curavi, in reliquo vero qualescunque aut quaecunque epistulas aut testamenti vel conscriptionis de nomine meo manus meas firmatas ostensasque fuerint, & ante hoc testamentum praenotatas, quas hic non commemoravero, excepto de ingenuitates quas pro animae meae remedio fecimus aut adhuc facere volumus, vacuas permanent, & quod unicuique per hoc testamentum dederam darique iussero, id ut faciat detur, praestetur, impleatur, te omnipotens Deus testem committo. Quapropter dum non habetur incognitum qualiter dispensante Deo ad habendum vel possidendum loca sanctorum illorum de rebus meis propriis delegavi in perpetuum ad possidendum, dedi quoque ad basilica illa portiones meas atque denominata, id sunt illa, quicquid in ipsa loca superius nominata habere videor, totum & ad integrum ad basilicas superius nominatas proficiat in augmentum. Illas vero cessiones quas ad libertos nostros illos ad eorum ingenuitates confirmandas fecimus, id sunt ille & ille, quando ipsos pro animae nostrae remedium ingenuos dimisimus, ut dum advivunt hoc teneant & post eorum discessum cum omni superposito ad jamdudum Ecclesia sancti illius, ubi eis patrocinium & defensionem constituimus, revertere faciant. Volumus enim ut ingenuos quos fecimus aut in antea fecerimus, quantum in ipsa loca manent quod ad sancta Ecclesia illa delegavimus, inspecta eorum libertate super ipsas terras per ingenuos commanent, & alibi commanendi

nullam habeant potestatem, sed ad ipsa loca sancta debeant sperare, & nullus de ipsis lidemonio ad nostros heredes nullatenus reddant, & de hoc quod aliquibus eis per chartas dedimus, nullatenus alibi vendere nec alienare habeant licentiam. Similiter donavimus donatumque in perpetuum esse volumus ad monasterium illum, ubi venerabilis Abbas ille praesse videtur, villas illas in pago illo cum omnibus adjacentis vel appendiciis earum, quantumcunque ibidem tenere vel possidere videamur, per qualibet adtractio ad nos pervenit aut legibus venire debet, totum & ad integrum cum omni superposito à die praesente in honore sancti illius vel Abbati illi tradimus ad possidendum, cum domibus, aedificiis, mancipiis, accolabus, libertis tam ibidem oriundis quam aliunde translatis vel ibidem commanentibus, vineis, silvis, campis, terris cultis & incultis, pratis, aquis aquarumque decursibus, cum exiio & regresso, omne genus pecodum tam majore, mobilibus & immobilibus, omnem rem inexactam, tam aurum quam argento vel reliquis fabricaturas, tam ministeria Ecclesiae vel strumenta chartarum, libros vel vestimenta Ecclesiae, vel omni praesidio quod mihi legibus vivens possidere videor & mihi redibetur, & quicquid dici aut nominari potest, totum & ad integrum ad jamdudum monasterio sancti illius proficiat ad augmentum, inspecto illud strumento quod antea ad jamdudum monasterio fecimus. Praeter ista omnia reservamus in Falcidia heredibus nostris villas illas in pago illo, in ea ratione ut facta mea in omnibus studeant conservare atque defendere. Quod si hoc facere neglexerint, quicquid eis deputavimus perdant, & de omni corpore facultatis meae penitus reddantur extranei. Et si aliquid comparavero, aut ex parentibus meis mihi obvenerit, vel adtraxero, vel per quolibet ingenio ad nos pervenerit, quod in ipso testamento supra non commemoravimus, post nostrum discessum casa sancti illius per rectores suos recipiat perpetualiter ad possidendum. Per praesentem testamentum basilicam sancti illius heredem meam instituo, & quicquid unicuique deputavi, fidei tuae committo, quia haec quod tibi deputavi malo te habere quam me, te magis quam ceteris heredibus ac proheredibus meis. Si quis vero, quod futurum esse non credo, si aliquis heredum ac proheredum meorum, vel quilibet opposita persona pra-